Martinus
Cracoviensis

Foxii Joannis Oratio gratulatoria
in adventum

Oratio Gratulatoria

IN ADVENTVM ILL^mi & R^mi DOMINI, D. MARTINI SZYSKOWSKI, EPISCOPI CRACOVIENSIS DVCIS SEVERIENSIS.

Ab Admodum Rendo Domino
Ioanne Foxio I. V. D. Archidiacono
Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis:
Nomine V. Capli eiusdem
Ecclæ habita.

CRACOVIÆ,
Anno Dñi, MDCXVII, die 3. Iunii.



ORATIO

QVàm chari & venerandi eſſe debe-
ant, duces & Rectores animarum,
Illuſtriſsime ac Reuerẽdiſsime Præ-
svl, illi præſertim, qui iuſtè ſanctè
humaneq́ue præſunt, vel ille cæle-
ſtis nuncius demonſtrauit, qui Ioanni Apoſtolo &
Euangeliſtæ, ad pedes ipſius adorationis cauſa pro-
cidenti inhibuit. Vide ne feceris, conſeruus enim Apoc:22.
tuus ſum. Didicerunt & homines paſtoribus ſuis,
Angelicam, imò diuinam reuerentiam exhibere,
qualem Apoſtolus ſibi cum euãgelio venienti ex-
hibitam eſſe teſtatur, his verbis. Sicut Angelum Gal; 4.
Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. Illi enim
ſunt, qui legatione funguntur pro Chriſto, qui vi-
ſibili miniſterio ſublimia Angelorum exercent of-
ficia, vt purgando, illuminando, accendendo,
mentes hominum varias & inſtabiles, ad Deum,
qui ſumma eſt ſtabilitas, deducant. Quæ omnia ſi
quis diligentiùs expendat, fateatur neceſſe eſt, ma-
gno Dei munere bonum paſtorem dari, in cuius
laudem, cum multa, tum illud diuinum elogium Mat.24.
verè dici poſsit. Fidelis ſeruus & prudens, quem

constituit Dominus super familiam suam. Nec immeritò æterni patris verbum, duo hæc verba coniunxit, vt non fidelem solùm sed & prudentem seruum, familiæ suæ principem deligeret. Raro enim, vt Sanctus Bernardus obseruauit, rarò inquam in vtraque gratia aliquis consumatus inuenitur, vt simul fidelis & prudens sit, nec facilè vel prudenti fidelitatem, vel fideli prudentiam inesse deprehendas. Fides autem serui huius, sicut omnium, in eo vel maximè consistit, vt non sua lucra quærat, non sibi sed Domino acquirat, ne in illam reprehensionem incurrat. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi. Prudentia vero præcipua illa est, vt cognitos habeat modos, quibus indefessam in custodiendo grege Domini vigilantiam adhibeat, vt ab illo non solùm lupos & quidquid inimicum est arceat, verùm etiam ad pinguia ac vberrima pascua ducat, adeoque, siue ad repellenda pericula, siue ad danda salutaria, vnus pro multis perennes excubias agat. His ego te duabus, boni pastori notis Illustrissime ANTISTES, quasi preciosis quibusdam gemmis & adamantibus, insignitum esse cum videam, merito hunc tuum primum ad nos aduentum nobis valde charum, teq; ipsum magnopere venerandum, nomi-

Epist.42

Phil.2.

ne omnium qui adsunt, profiteor. Quis enim est, qui nesciat, qua fide sis in Christi familia regenda, qui opes & fortunas à Deo creditas ad publicam & priuatam multorum beneficentiam conferre soles, quò te vellem mea hæc magis ac magis incitet oratio, imò eximii Ecclesiæ Doctoris Hyeronimi præclara sententia. Gloria Episcopi est, pauperum inopiis prouidere, ignominia sacerdotis est, propriis studere diuitiis. Prudentiam verò tuam, quis non miretur, vel non extollat, qui & si ipse abundes consilio, doctrina & magnarum rerum vsu parto, prudentum tamen, quos semper ad latus habes, fretus consiliis, pro incolumitate gregis Christi, indefesso animo aduigilas. Subit mihi in mentem, florens illa ætas, qua sapientissimi Petri Miscouii Episcopi, Cancellarius, maturam & senili iam prudentia insignem, in rebus Ecclesiæ operam nauasti. Euectus hinc ad Luceoriensem, mox & ad Plocensem Cathedram, maiora prudentiæ & vigilantiæ pastoralis documenta dedisti, nullis vnquam parcens laboribus, vt clerus populusq; tuus non solùm quietè, sed etiam iucundè viueret; ac religio Catholica, cultusque diuinus floreret. Nolo multis commemorare insignem tuam sententiis in senatu dicendis pruden-

Ad Nepot. de vita cler.

tiam, miram tractandi animos hominum, quantumuis dissidentium tum dexteritatem, tum fælicitatem, effusam erga omnes humanitatem, ac alia boni pastoris, quæ ex fonte prudentiæ fluunt, tibiq; seruiunt, encomia. Sufficiat illud vnum Serenissimi Regis nostri, qui te in vtroq; hoc Episcopatu, præclara functionis Episcopalis exempla reliquisse, templa construxisse, cætus religiosorum liberaliter dotasse, Diœcesumque illarum splendori multum tua industria adiectum esse, literis ad nos datis, testatum reliquit.

Et tu quidem in Episcopatu Plocen: non senescere solùm, sed vita etiam fungi cogitabas, iamq; & sepulchra & sacras pro anima tua expiationes designabas, cùm te Deus ad primam in regno Episcopalem dignitatem, vocat, ac vt superiùs ascendas, iubet. Debebatur hîc locus amplissimis hisce tuis virtutibus, in quo te iam diuinitùs positum esse, nobis quidem gaudemus, tibi verò Illustrissime Præsul, quotquot adsumus, in hac æde sacra gratulamur. Domus certè hæc Dei, tota in aduentu tuo gestit, veterem illam atram vestem deponit, nouam hanc auro vadique rutilantium colorum, splendidam opportunè induit, quæ charissima habet pignora, res fortiter gestas patronorũ suorũ, viuis

viuis coloribus expressas ad imitandum exponit. Sit memoria in benedictione Episcopi integerrimi Petri Tilicii, prudentissimi Senatoris, qui ita decorem domus Dei dilexit, vt illius ornamentis etiam post mortem, in aduentum planè tuum ita liberaliter prospectum esse voluerit. Quod si domus ipsa lætatur quid nos, qui sumus membra tua agere conuenit? Adest insignis hęc sacerdotum corona, quæ tibi capiti suo & coniungi & firmiter adhærere cupit. Habes Ecclesiæ senatum, prudentem & beneuolum, consiliarios fideles. Prodierunt tibi, sicut solent pulli auium gestientes, obuiam ełio lare patri, deduxerunt te ad hunc sublimem nidum, in quo eos, vnaque omnem populum alimentis cælestibus reficias, ac generosæ aquilæ instar, ab vnguibus volucrum rapacium, strenuè tueâris. Expande iam Illustrissimè ANTISTES, fidei & prudentiæ tuæ alas, prouoca ad volandum pullos tuos, vt & ipsi, verbo & exemplo à te prouocati, assumant pennas vt aquilæ, volent in viis Domini, & non deficiant. Optamus tibi maiora in dies diuinæ gratiæ incrementa, vires & valetudinem firmam, prosperos rerum successus; illud verò vel maximè, vt cum primus in numerum & ordinem Episcoporum Cracouiensium MARTINI nomen inferas,

feras, virtutes quoq; præclaras, ac zelum Sanctissimi Pontificis assequaris, ita vt pro gloria Dei, pro salute populi, nullum subire laborem recuses, vitamq; longæuam, meritis apud Deum plenam, cũ immortali inter mortales, laude, transigas. Insuper, nos iuraq; nostra, tuę fidei, patrocinio, defensioni, & libenter subiicimus, & studiosè comendamus. Finem gratulationis meę breuioris quam virtutes tuæ merentur, faciam, si verba illa sacrarũ literarũ
2.Reg.7. dixero. Sis nobis, Præsul Illustrissime in patrem, & nos erimus in filios. Filios profectò non degeneres, sed obsequentes experieris, qui exhibitæ paterne tuæ charitati, cum intimo filiali affectu, promptè submisseq; respondebũt.